DE VERGILIO IMITATORE POETARUM GRAECORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS RICHTER

LUSATUS.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

A. MDCCCLXX.

De Vergilio imitatore poëtarum graecorum.

De eo, quod mihi tractandum proposuerim, argumento permultos jam verba fecisse capitibus, quae de Vergilio, Homero, Theocrito a litterariae historiae scriptoribus perscripta sunt,[1]) et quae prolegomenis Vergilianorum carminum editionibus praemissis de hac re continentur, perlustratis nemo non videt. Bipartitum autem librorum ad hanc rem pertinentium genus esse apparet: alterum eorum, in quibus singuli versus Vergiliani et ampliores carminum Vergilianorum particulae a Graecis petitae, ad Graecos adumbratae aut suspicionem saltem imitationis moventes simul cum locis graecis congeruntur,[2]) alterum eorum, in quibus de ratione, quae inter Vergilium imitantem et po-

---

[1]) cf. Bernhardy: Grundriss der röm. Literaturgeschichte, 4. Bearbeit. Halle 1862. Anmerk. 372. 373.

J. N. Funccius: De virili aetate linguae latinae. Marb. 1727—1730. Tom. I.

J. G. Sulzer: Allgem. Theorie der schönen Künste. Leipzig 1792—1794. Artik: „Hirtengedicht" und „Heldengedicht".

[2]) Primis quidem, quos hujus generis collationem vel potius congeriem instituisse accepimus, auctoribus Q. Avitus adnumerandus est, a quo in libris Ὁμοιοτελεύτων annotabatur „quos et unde versus Vergilius transtulerit" cf. Donati vita Verg. 63 in Verg. opp. ed. Heyne 1788. I.

Exstat vero Macrobii (in promtu mihi est editio Zeunii Lips. 1774.) collatio Vergilii Graecorumque in libro V et VI Saturnaliorum, ubi Vergilianorum carminum inprimis Aeneidos locos cum similibus Graecorum contulit saepiusque demonstravit, uter alterum in rebus pertractandis superarit.

Cujus exemplum secutus F. Ursinus libro, cui inscribitur: Vergilius, collatione Graecorum et Romanorum illustratus. Antv. 1568, cura Valckenaerii Leov. 1747. subtiliter Graecorum et Romanorum

ëtas graecos, Homerum [1]) praecipue et Theocritum [2]), intersit, quali modo poëta exemplaria sua imitari conatus sit [3]), et uter collatione instituta superior an inferior discedat, quaeritur; nullus autem liber a me invenitur, quo conjunctim non tam Vergilii archetypa graeca deinceps afferantur comparenturque quam imitationes ad rationes quasdam revocentur et artem imitandi praecipue in certis quibusdam rebus poëtam collocasse demonstretur. Itaque ejusmodi dissertationem institui, ut priore parte

---

scriptorum indagavit vestigia, quibus Maro institit, et ita collationem fecit, ut per singulos versus imitationem demonstraverit.

Simili ratione recentiore tempore usi sunt: F. G. Eichhoff: Etudes grècques sur Virgile. Par. 1825. III. et Tissot: Etudes sur Virgile comparé avec tous les poètes épiques et dramatiques. Par. 1826.

Nec praetermittenda Gebaueri dissertatio gymnasii Zwickaviensis annalibus subjuncta 1863: Quatenus in epithetis Vergilius imitatus sit Theocritum.

[1]) René Rapin, Jesuita Gallus, in libro: Comparaisons des grands hommes de l'antiquité. 1686. patrio idiomate epici carminis virtutes examinavit et inter Homerum Vergiliumque comparationem ita fecit, ut suam cuique laudem tribueret. Latine versa haec comparatio invenitur in Jac. Palmerii: Κριτικὸν Ἐπιχείρημα etc. Lugd. Bat. 1709. 8. pg. 129—238., quo libro etiam Jac. Tollii: comparationes Vergilii cum Homero, Theocrito etc. continentur.

Deinde huc referendi: J. H. Tittmann: De Vergilio Homerum imitante Viteb. 1787. Lauter: De Vergilio imitatore Homeri. Heidelb. 1796 Andreae: Locorum quorundum Vergilianorum spec. I. et II. Jen. 1804. 1814. Scaligeri Poëtices lib. V cp. II. Respicienda quoque, quae a Macrobio in Saturnalibus et a Gellio Noct. att. XIII. 26 et XVII, 10 proferuntur.

[2]) Germar: Conferuntur inter se Theocritus et Vergilius etc. Thorun. 1801. J. G. Meusel: De Theocriti et Vergilii poesi bucolica. Gott. 1766. 4., praecipue autem illustrissimus F. G. Gebauer: De poëtarum graecorum bucolicorum inprimis Theocriti carminibus in eclogis a Verg. adumbratis, 1860.

[3]) G. Walch: De eo, quod nimium est in imitatione Homeri Vergiliana, meletema criticum. Schleusing. 1773. 4. Fraguier: De ratione, qua Verg. imitatus est Homerum, in Mémoires de l' Acad. des inscript. II. p. 141. sqq. Adjungendus quoque Macrobius l. l. Heyne prolegg. et Ph. Wagner, Verg. carmina Lpz. 1861. prolegg. de vita et carm. Verg.

fructibus utriusque generis studiorum (quae infra enumeravi) in usus meos translatis, quos et quomodo Vergilius imitatus sit, quaererem, altera parte imitationis exempla undique congesta ad rationes certas redigerem.

Prohibet autem nimia rei ubertas, quominus omnia carminum Vergilianorum genera, bucolicum didacticum epicum, hac in priore parte spectemus, sed praecipui Vergilii operis tantummodo, Aeneïdos, quae poëtis, quos in hac scribenda imitandos Vergilius sibi proposuerat, plerisque superstitibus facile comparandi materiam nobis suppeditat, deinceps hic afferemus et comparabimus archetypa graeca.

I. Atque in Aeneïde quidem perscribenda, ut Homerum, de quo infra fusius verba faciemus, interim mittamus, haud dubium esse potest, quin e poëtarum cyclicorum carminum diligenti lectione varios multosque fructus perceperit poëta.

Nec multum abest a veri similitudine, quin Aeneïdos liber secundus ad Leschae Iliados *μικρᾶς* exemplar ab illo conditus sit. Adjungendi huic *νόστων* scriptores, deinde theogoniarum.

Etiam tragicos Graecorum poëtas, quippe quorum fabulas a Livio Andronico, Varrone, Pacuvio in linguam vernaculam versas usui suo paratas deprehenderit, Vergilii archetypis adnumerandos esse et plurimum ab illis poëtam profecisse Heynius[1]) contendit, cum non tam fabularum materias quam orationum (praesertim earum, quae novissimis Aeneïdos libris continentur) colorem, majestatem quidem ac dignitatem, inde sumpsisse putandus sit. Materias autem de poëtis tragicis illum duxisse contendi utique improbandum. An inde fabularum materias haurire Vergilium oportebat, quippe qui uberiorem harum rerum copiam in cyclicorum poëtarum carminibus congestam offenderet, quam apud tragicos, qui ab epicis demum fabulas mutuati sint? — Deinde quod ad colorem orationum Vergilianarum ad tragicorum poëtarum exemplum majestate

---

[1]) Verg. opp. II. Disquis. I. de carm. ep. cp. VIII.

quadam ornatarum attinet, negari nequit, locos quosdam exstare,[1] in quibus tragicae orationis coloris similitudo inveniatur, minime vero hanc similitudinem imitandi studio effectam accipere licet; sed cum ei ipsi loci ab Heynio prae ceteris allati[2] majestate quadam orationis utique carere non potuissent, earum colorem tragicarum orationum coloribus similem exsistere prorsus necesse erat. Qua de causa inter Vergilii exemplaria poëtae tragici referendi non sunt.

Multos autem mythos ex operibus interpretum grammaticorum cura de carminibus cyclicis conflatis eum duxisse Macrobius[3] demonstrare conatus est.

E Pisandro totum librum secundum, quo de Trojae excidio, de Sinonis proditione, de equo Trojano sermo fiat, petiisse dicitur,[4] et ab Apollonio Rhodio quartum Argonauticorum librum mutuatus Aeneïdos quartum ita ex hoc composuit, ut quae de Medea et Jasone Apollonius narraverat in Didonem et Aeneam transferret.

Alia denique Vergilii archetypa libri quinti capite XVIII et XIX Saturnaliorum Macrobius nobis denotavit.

Saepe autem difficillimum videtur, quid quantumque ab aliis petitum aut de suo additum lecturis praebeat, dignoscere. Ita Pindarum quoque Vergilium aemulari Macrobius[5] animadvertit ad Aen. III, 570 sqq.,[6] ubi splendidis coloribus Aetnae eructantis descriptionem poëta nobis proposuit. Sed vehementer haereo, an hoc loco, quantacunque inter Vergilianam et Pindari descriptionem similitudo intercedit, vere imitatio agnoscenda sit. Nunquam enim magis ab imitationis vestigia indagantibus peccatur, quam in comparandis locis diversorum poëtarum easdem regionum res describentium.

---

[1]) v. c. Aen. II, 324 sqq. coll. Eurip. Troad. 581 sq.

[2]) Aen. VII, 292 sq. IX, 128 sq. X, 16 sq. 62 sq. XI, 336 sq. 376 sq. XII. 139 sq.

[3]) Saturn. V, 18. pag. 549.

[4]) Macr. Sat. V, 2. pag. 474.

[5]) ibid. V, 17 pag. 541.

[6]) coll. Pind. Pyth. I, 34 sqq.

Plurima vero ex Homero Vergilium hausisse, quis est, qui neget? qui Iliade et Odyssea in unum carmen confusis inde magis varium atque uberius opus efficere conatus est, quo magis lectorum animi permoverentur ac delectarentur. Et ita quidem duo haec carmina coalescere voluit, ut libris sex prioribus Odyssea, posterioribus Ilias adumbraretur.

Ac primum ut accuratius, qua ratione ad Homeri exemplar Vergilius sese composuerit, inquiramus:

in tota Aeneïdos dispositione Homeri carminum similitudo cernitur. Homerus enim cum historicorum rationem vitare vellet, quorum mos est, ab initio rite enarratas res certo ordine ad finem continuare, in medias res lectores rapit. Itaque non inde a Troja navigantis et huc illuc jactati Ulyssis errores nobis proponit, sed inde ab insula Calypsus[1]) ad Phaeacas profectum ibi in Alcinoï convivio versantem[2]) ante actarum rerum et periculorum narrationem absolvere eum fecit. Hunc secutus a Sicilia itinere perfunctum Aeneam apud Didonem fata sua narrantem Vergilius praebuit.[3]) Atque causae rerum adversarum, quas et Graeci in Ilio oppugnando et Aeneas in erroribus perpessus est, simili modo ab utroque poëta petuntur.

Nec tam in universum formam, qua narrandi materiam quasi includeret, Vergilius ad Homeri rationem expressit, quam totam Aeneïda filis quodammodo Homericis pertexuit, quod recte a Macrobio[4]) commemoratum esse facile concedemus, si particulas illas Aeneïdos Homericis respondentes hic in medio posuerimus. Et cum de filis Homericis agamus, eas intelligendas censeo carminum particulas sive orationes sive res gestas complectentes, quae a persona Homerica profectae in alium quendam Aeneidos heroëm a Vergilio transferuntur. Non igitur narrationes rerum Homericarum integrae ex Odyssea aut Iliade snmtae huc pertinere possunt, ut Aen. III, 623 sqq. coll. Od. IX., 288 sqq. Achaemenidis de Cyclopis saevitate narratio,

---

[1]) Od. I, 22 sq.

[2]) Od. VII, 226 sqq.

[3]) Aen. I. II.

[4]) Saturn. V, 2 pag. 476.

nec de Circe fabula Aen. VII, 10 sqq. coll. Od. X, 135 sqq., nec quaecunque de Graecorum obsidione Trojaeve excidio proferuntur. Praeter eos, quos Macrobius [1]) filos denotavit et ea, quae apud Wagnerum inter voluntariae imitationis exempla enumerantur:

Expressit Vergilius prodigium Trojanis objectum, quo Laocoon serpentis impetu interficitur, ad simile portentum Achivis Aulide occlusis a diis datum. [2])

Discessus deinde ac preces, quibus a pugna Aeneas a Creusa conjuge retineatur, sine dubio ad Hectoris ab Andromache discessum referenda. [3])

Reddit Mnestheï sociorum navalium adhortatio compellationem Antilochi equos ad celeritatem incitantis, [4]) et

Anchisae novi equorum generis procreatio ex solis equis furtim suscepta eandem de Circe relatam narrationem. [5])

Concinunt Aeneae supplicis adventus ad Euandrum, qui sacra ferens deprehenditur, et Telemachi adventus ad Nestorem, [6])

---

[1]) Macrobius Sat. V, 2 attulit: Didonis convivium coll. Alcinoi epulis l. l.; inferorum consultationem Aen. VI coll. Od. XI; consilia Anchisae Aen. VI coll. Tiresiae monitis Od. XI; auxiliorum enumerationem Aen. X, 163—214 coll. Il. II, 484—785; armorum fabricationem Aen. VIII, 370—453 coll. Il. XVIII, 369—616; ludicrum certamen Aen. V, 103—484 coll. Il. XXIII, 257—897; speculationem nocturnam Aen. IX, 176-365 coll. Il. X, 299—579; foedus inter reges ictum et paullo post ruptum Aen. XII, 1--310 coll. Il. III., 1—382 IV, 1—220; lamentationem super Pallante Aen. X, 530 sqq. coll. Il. XVIII, 1—148; altercationen Drancis et Turni Aen. X, 122 sqq. coll. Il. I, 1—306; pugnam singularem Aeneae et Turni Aen. XII, 1—310 coll. Il. III, 1—382; Achillis insultationem in Lycaonem peremtum in Tarquitum translatam Aen. X, 557 sqq. coll. Il. XXI, 122 sqq.

[2]) Aen. II, 199 sqq. coll. Il. II, 305 sqq. Primus hujus loci imitationem Herderus animadvertit Crit. Wäld. I. p. 98. ff.

[3]) Aen. II, 673 sqq. coll. Il. VI, 394 sqq.

[4]) Aen. V, 188 sqq. coll. Il. XXIII, 402 sqq.

[5]) Aen. VII, 281 sqq. coll. Il. V, 267 sqq.

[6]) Aen. VIII, 102 sqq. coll. Od. V, 32 sqq.

porro Veneris accessus ad Vulcanum, ut Aeneae arma pararet, rogantis et Thetidos propter eandem causam ad deum illum aditus [1]).

Simillima quoque adhortatio, qua in pugna Turnus socios ad ignes in Trojanorum castra conjiciendos incitat, illi de Hectore idem admonente loco Homerico, [2])

et equorum raptus inter caedem nocturnam eidem Homeri narrationi [3]).

Accedunt porro ad hanc Homeri similitudinem lamentatio matris Euryali super filio occiso, [4])

Apollinis in Butae senis figuram mutati ad pugnandum Ascanii adhortatio [5]).

Simili modo Iuno Aeneae specie induta Turnum acriter hostis vestigia prementem pugnae perniciosae eripit, apud Homerum Apollo Diomedem [6]).

Adde custodes illos duo Pandarum ac Bitiam Trojanorum castra tuentes ad Polypoëten et Leonteum Lapithas expressos [7]).

Reditum denique Aeneae in puppi stantis et clipeum ardentem a Vulcano factum prae se tenentis eundem terrorem hostibus injicere videmus atque Achillis conspectus, cum castrorum Graecorum vallum Trojani ascendissent [8]).

---

[1]) Aen. VIII, 370 sqq. coll. Il. XVIII, 428 sqq.

[2]) Aen. IX, 71 sqq. coll. Il. XV, 716 sqq.

[3]) Aen. IX, 350 sqq. coll Il. X, 494 sqq.

[4]) Aen. IX, 475 sqq. coll. trepidationi et luctui Andromachae Il. XXII, 447 sqq.

[5]) Aen. IX, 646 sqq. coll. Il. XVII, 325 sqq. ubi Periphanti similis Apollo Aeneam impellit.

[6]) Aen. X, 633 sqq. coll. Il. V, 449 sqq.

[7]) Aen. IX, 672 sqq coll. Il. XII, 127 sqq.

[8]) Aen. X, 260 sqq. coll. Il. XVIII, 203 sqq. Heynius si in hac narratione Homero Vergilium inferiorem discessisse dixit, quod Homerus Achillis ipsius conspectu, Vergilius clipei ardore hostes tremefactos esse voluerit, perperam judicavit; non enim, quamvis prolixe de clipeo a Vergilio verba fiant, clipeum hostium terroris causam habendum esse voluit, sed omnino Aeneae figuram.

Praeterea omnia, quae propter Pallantem ulciscendum Aeneas egit, ad Achillis exemplum expressa sunt [1]).

Hucusque postquam, quali modo quantumque ab Homero Vergilius traxerit, cognovimus, talia quoque, quae ab archetypo eum remotum esse probant, afferri par est, et eo magis, quod duorum poëtarum discrimina ansam dedisse existimandum est comparandi et examinandi, uter praevaleat. Atque ita facile cognoscetur, utrum bene ac prospere imitandi artem Vergilius exercuerit, an ab archetypo imitator relictus sit [2]).

Id autem in tali quaestione tenere oportet, nihil ad arbitrium nostrum valere (id quod fere ab Homerum Vergiliumque comparantibus in disquisitionem vocatur), quod simpliciore sermone Vergilio Homerus usus sit, Vergilius cultiore et politiore. Nemo enim justo judicio usus, ut auctor ab aetatis suae usu et cultu orationis discedat, postulabit. Tanto igitur elegantiorem et politiorem Iliade Aeneïda esse necesse est, quanto temporis spatio ab Homeri aetate Augustea remota fuit.

Porro, si quaerimus, negari nequit, totum Iliadis consilium, quod libris sex posterioribus Aeneïdos Vergilius re-

---

[1]) Aen. X, 516 sqq. coll. Iliados libris novissimis.

[2]) Varia judicia Maro cum archetypo suo collatus expertus est, ita ut admiratores quidam immoderati ingentibus laudibus eum sustulerint, obtrectatores ne minimam laudem ei tribuendam concesserint. Illis ut celeberrimus J. C. Scaliger (cf. Poëtices lib. V cp. 2 pg. 493 sqq. ed IV. 1607.) adnumerandus, superstitiosus paene Maronis laudator, qui diserte potius quam critice Vergilium Homero anteponendum esse demonstravit, Rapinus vero critice. Magnopere horum Vergilii laudatorum libris antiquitatis Graecae studiosi exacerbati sunt, et cum de Iliade a de la Motte perscripta (l'Iliade poème avec un discours sur Homère. Amst. 1714.) quaestio excitaretur, altercatio exarsit, in qua Boivinus minor contra Scaligerum et Rapinum Homeri defensionem suscepit. Multorum et veterum et recentiorum auctorum, qui Vergilium vel proximum vel parem vel majorem Homero faciunt, judicia ab J. L. de la Cerda (Virg. opp. not. illustr. 1608: Virg. Mar. elogiorum cap. 4.) collecta sunt. Multi autem illorum aut ex minimis nugatoriisque rebus aut ex opinione praejudicata judicium tulerunt.

cepit, multo grandius esse quam Aeneïdos, si consideramus, in illa totius Graeciae exercitus et principes, ut opulentissimum Asiae regnum everterent, profectos esse, in hac singulas gentes bellum movisse, ut principem advenam, quominus in fines suos irrueret, impedirent; in illa proeliis atrocibus summa cum iracundia et odio nec sine deorum auxilio gestis, in hac pugnis plerumque eis heroïbus, quorum rebus gestis vel ingeniis admiratione legentes affici possint, prorsus carentibus res ad eum finem perduci, quem poeta sibi proposuerit.

Atque etiam pro ratione archetypi in eo claudicare Aeneïdos consilium existimamus, quod res a Vergilio narratae quibus ex causis gerantur saepe non satis liquet; quae res ne varia multiplicique deorum intercessione quidem quamvis sollerter inserta compensari potest. Quis enim, ut exemplum afferam, quaestionem non movebit, quid Aeneam fugientem, ut in Italia sedes peteret, commoverit, quo jure alienum imperium adorto regi indigenae sponsam eripere ei licuerit, cur Carthagine non remanserit? Non enim, si quis ex toto carminis consilio hoc sequi debere velit, sufficere censeo. Jam narrationis initio prope Siciliam eum poëta inducit insciis nobis, quo factum sit, ut illuc pervenerit. Namque interroganti poëtae illud:

. . . . multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum [1]).

sufficere nequit.

Inprimis autem Homero Vergilius cedit in inveniendis variandisque personarum characteribus, quibus maxime delectandi vis carminibus epicis addi solet. Homerus quidem quam perfecte et egregie mores et indolem Achillis effinxerit, nunquam satis miramur. Permoveri et *συμπαθείᾳ* quodammodo legentium animos affici oportet, cum videant, Achillem Phoenicis summa veneratione affici, Patroclo amicitiae dulcissimis vinculis jungi, Priamum commiserantem vehementer permoveri, semper denique vere ac simpliciter se gerere. —

---

[1]) Aen. I, 30 sq.

Minime vero, etiamsi Aeneam vitiorum plane expertem Vergilius expressit, hujus heroïs fatis legentes permovemur, eo praesertim, si recte judico, quod omnibus morum humanorum vitiis amotis frigidus ac lentus, quo nihil neque admirationis nec συμπαθείας legentibus intus moveatur, Aeneae character exstitit.

Huc accedit, quod Aeneae animus parum a se aptus est, quali prae ceteris hominem fortem praeditum esse oportet. In eis enim, quae prioribus sex libris ab illo gesta narrantur, si accurate quaerimus, nunquam fere ipse agit, et si quando agit, non sponte sed jussu impulsuque deorum.

Quin etiam in eis, quae nisi ab ipso Aenea agi non possunt, ex se non pendet, ita ut saepius deorum consiliis inservire tantummodo videatur. Cernitur, quod dicimus, praecipue in amore Didoni a Venere injecto, quo ut Aeneam adamaret efficeretur [1]).

Plerumque etiam res narrare potius quam gerere eum videmus. In extremis demum libris, ubi non tam de rebus a se gestis loqui, quam ipsum res perficere illum poëta fecit, ne haec quidem ab eo decreta et acta vere ab eo proficiscuntur — Nec moribus ejus gesta conveniunt, sed saepe propterea aliquid gessisse videtur, quod heroëm aliquem ita egisse ab Homero traditum est. Idcirco ubique alienas partes, quas ab heroïbus graecis mutuatus est, agere cognoscitur. Itaque quamvis delectemur, cum Trojae excidium ab Aenea narrari, in erroribus huc illuc jactari, Didonis amorem et desperationem oriri legamus, tamen quod in omnibus rebus Aeneae persona nimium recedit magis nova videndi cupiditate et exspectatione, quam quod vere permovemur, narrationis lectionem absolvimus.

Denique ut omnia, quae de Aenea attulimus, paucis circumscribamus, judicandum erit, Aeneae charactera non talem a Vergilio depictum esse, quo admiratio et συμπάθεια, quibus

---

[1]) Aen. I, 657 sqq.

poësis epica carere plane non possit, legentibus moveantur, et hanc ob rem ex hujus rei disquisitione semper superiorem Homerum discessurum esse [1]).

His in allatis aliisque haud infacete Wagnerus [2]) imitationis rationem duplicem accipi posse dicit, nec supervacaneum duxi, quod ad locos Vergilianos adumbratos in altera parte dissertationis positos recte dignoscendos et indagandos plurimum valet, paullo diligentius, quid demonstrare voluerit, exquirere.

Necessariam autem et voluntariam Vergilii imitationem esse contendit: priorem in eis poni debere, quae sequantur inde quod Aeneam primas partes in carmine suo agere Vergilius voluerit. Quodsi enim apud Homerum narretur, Aeneam de heroum Trojanorum numero fuisse Trojaque deleta, ut novas sedes quaereret, inde profugisse, necessario errores illius et pugnas ad Homeri narrationes Vergilio effingenda fuisse. Accedere, quod de moribus, institutis, genere pugnandi gentium Italicarum nihil cognitum Maro habuerit quare et in his rebus depingendis Homerum imitari oportuisse. — Ad utrum imitationis genus intercessiones [3]) deorum a Vergilio adhibitae

---

[1]) Ea, quae Heynius (Verg. opp. II. Disquis. I. 16. pag. 98.) ad defendendum Vergilium, quod in Aeneae charactere describendo Homero inferior exstiterit, dicit: Aeneam non alterum Achillem aut Ulyssem esse potuisse, nisi Maro exscripsisse potius et servili imitatione expressisse videri vellet; deinde pag. 50: non omnes personas epicas Achillem referre posse, nullius momenti sunt.

[2]) Verg. carm. ed. Ph. Wagner. Lips. 1861 Prolegg. pag. 22.

[3]) Minus mihi, quae de deorum intercessionibus a Vergilio et Homero adhibitis Wagnerus profert, arridet, cum dicat, minus feliciter Homero Vergilium ea re usum esse (pag 23). Contra nullum unquam poëtam epicum, qui magis opportune ac moderate eas usurparit, Vergilio exstitisse putaverim, quippe qui non prius, quam rerum naturalium connexu et hominum consiliis feliciter res expediri haud prorsus posset, deos advocarit. Homerus autem saepe nulla de causa adscivit (quare χαλεπώτατα ψευδόμενον Dio Chrystostomos eum appellat). Quid enim, ut exemplum afferam, Homerus necesse habuit Palladem ex Olympo deferri fingere, ut ab u.ciscendo Achillem retineret (Il I)? Et hac de

referendae sint, haerere ille initio videtur pariterque de catalogo copiarum Turni dubitare. Hunc enim catalogum pro totius carminis consilio afferri, cum primordia rei Romanae, quae maxime cum prisco statu Latii conjuncta essent, hoc carmine explicare Vergilius statuisset. Postremo autem ad necessariam imitationem utrumque hoc refert.

Ad voluntariam imitationem Wagnerus primum omnes fere, quas de Aeneïdos filis Homericis verba facientes partes in medio posuimus, deinde partes quasdam orationis, ut comparationes, spectare vult.

Quodsi imitationis utriusque rationem a Wagnero constitutam exquirimus, haud injuria eum distinxisse dicemus ea, quae necessario pariter atque Homerus et ea, quae sponte eodem modo scripsit.

Sed primum comprobare nequimus, imitationis notionem in utramque partem, id quod Wagnerus vult, adhiberi. Sequitur enim ex imitationis ut actionis, cujus hominis animus sibi conscius est, notione, ut voluntarium quod imitatio contineat. Ea de causa omnis imitatio actio voluntaria habenda est et vehementer cavendum, ne notioni imitationis, quippe quae voluntaria sit actio, epitheton prorsus repugnans subjungentes necessariam imitationem statuamus [1]). Sic igitur Wagneri significationem corrigendam esse existimo, ut similitudinem quidem voluntariam, quae ex imitatione exemplarium graecorum proficiscatur, et similitudinem necessariam, quae utique ab imitatione abhorreat, inveniri dicamus.

---

causa, quod ad deorum intercessiones recte adhibendas attinet, sine dubio Homerum Vergilius antecedit, inferior vero in effingendis deis ipsis putandus. Neque injuria ethicas physicasque allegorias deos Vergilianos intelligendos esse (cf. Boileau, l'art poëtique chant. III v. 133 - 170) ex multis locis praesertim ex Aen. IX, 717 sqq. contendi potest. Homerus autem deos pingens indole vitam spiritumque prodente feliciter induit v. c. Il, 446 sqq. ubi Minervam, v. 44 sqq. ubi Neptunum. V, 566 sqq. ubi Martem describit.

[1]) Ceterum tecte attingere Wagnerus videtur, de quo agimus, cum similitudinis vocem pro imitatione usurparit pag. 23: „Haec necessario habent cum Homeri carminibus similitudinem."

Omnino autem tota hac quaestione perpensa eo praecipue a Wagnero dissentimus, quod necessariae similitudinis singularum carminum Vergilianorum et Homericorum partium exstantis causam non de materia a poëta semel delecta petendam esse putamus, ita ut Vergilius, quod Aeneam primariam carminis personam sibi sumpserit, Homerum sequi debuerit, aut, quod Venus Aeneae mater sit, intercessiones deorum eum abhibere oportuerit, sed in poëtae ipsius voluntatis ratione similitudinis necessariae causa posita est; ita ut in omnibus rebus, quas alter alteri similes habet, quaeramus, utrum omnino aliter scribere poëtae licuisset, si vellet, an necessitate pariter atque Homerus scribere coactus fuerit.

Necessario igitur inter Vergilium Homerumque similitudinem evadere oportuit, ubi Maro res exponit et describit, quas, cum ab omnibus hominibus pariter sensibus percipiantur nec inveniendi vi novi quid affingendum ingenio humano relinquatur, aliter poëta depingere non poterat. Quare factum est, ut alter in eadem paene verba et in similes sententias atque alter incideret. Et rectissime permulta ab Ursino, Guellio, Cerda pro adumbratis allata ab imitatione abesse judicamus.

Ad hoc quidem genus cadere censeo:

rerum naturalium, [1]) armorum, [2]) personarum [3]) descriptiones, (et huc epitheta quoque sollemnia quaedam pertinent) [4]),

deinde ubi animi affectus quidam hominum vultu vel habitu expressi describuntur, sive meditantem [5]), sive vehementer

---

[1]) cf. descriptionem Scyllae Aen. III, 420 sqq. coll. Od. XII, 73 sqq. noctis Aen. III, 585 sq. coll. Od. IX, 143 sq.

[2]) galeae Aen. VII, 785 sqq. coll. Il. V, 4. XVIII, 205 sqq. Aen. IX, 225 coll. Il. X, 1. scuti Aen. VII, 789 sq. coll. Mosch. Europ. 43 sq.

[3]) Lausi Aen. VII, 649 sq. coll. Il. II, 673.

[4]) cf. Anmerkg. 2. pag. 19.

[5]) Aen. VII, 249 sqq. coll. Il. III, 217.

dolore permotum[1]), sive irascentem[2]), sive mirantem[3]) quendam poëta pingit.

Addas huic similitudinis generi ritus ac mores, qualibus Aeneas ejusque socii usi esse a Vergilio narrantur, ut precantium mores[4]), ritus[5]) ac ludos[6]) funebres.

Multa denique huc refero, quae a pugnantibus sive geri sive dici poëta narravit[7]),

etiam sententias quasdam, quae nimis vulgares sunt, quam quod ad eas scribendas exemplari graeco Vergilio opus fuit[8]).

Voluntaria similitudo cernitur in omni materia, qua gesta vel dicta a personis Homericis ad Aeneam vel socios et hostes ejus a Vergilio translata comprehenduntur; deinde, si singula spectamus, in usu epithetorum, in orationis figuris quibusdam, in eïsdem verborum conjunctionibus, quibus aliquid narratur, quibus allocutio sive optatio sive adhortatio sive lamentatio continetur, maxime vero in comparationibus.

Haerere autem quis possit, utri similitudinis generi duo illa a Wagnero ad necessariam imitationem relata assignanda sint, intercessiones deorum et Turni auxiliorum catalogus.

Intercessiones quidem necessario a poëta adhiberi Wagnerus opinatur, quod ipsius Aeneae mater dea fuerit, et quod temporibus Homericis vulgo dei humanis rebus interesse crediti sint. Sed hae causae ad usum intercessionum compro-

---

1) Aen. VII, 292 coll. Od. V, 285. Etiam morituri vultus descriptio huc pertinet Aen. XI, 831 coll. Il. XVI, 855 sq.

2) Aen. VII, 399 cell. Eurip. Bacch. 1122 sq.

3) Aen. II, 774 coll. Il XXIV, 399.

4) Aen. VII, 237 coll. Il. I, 14.

5) Aen. XI, 185 coll. Il. IV, 420 sqq.

6) Aen. V, 114 sqq. coll. Il. XXIII, 170 sqq, — Aen. V, 324 sqq. coll. Il. XXIII, 764 sq.

7) Aen. XI, 633 coll. Il. IV, 450. — Aen. IX, 770 sq. coll. Il. XIV, 497 sq.

8) Aen. X, 467 coll. Od. XIX, 328.

bandum sufficere non possunt, immo vero pro sententia nostra pag. 14, ubi allegorias tantummodo deos Vergilianos intelligendos esse comprobavimus, facile de rebus Aeneae auferri potuisse eas minimeque eas adhibendi necessitatem quandam exstare contendo.

Catalogum necessariae imitationi Wagnerus adnumerat ea de causa, quam pag. 14 attulimus. Sed tantum valere nequit, ut inde catalogi Homerici imitandi necessitas sequatur. Etenim facile, ut pristinae Italiae gentes legentium oculis proponerentur, inter pugnas describendum earum nomina appellare et enumerare poëtae licuit catalogi formam evitanti.

II. Nunc postquam in universum de Vergilii carminibus cum exemplaribus graecis comparandis verba fecimus, in altera hac parte in singulis imitationem demonstremus.

Omnino quidem haud perperam duo genera exemplorum verae imitationis sive similitudinis voluntariae in carminibus Vergilianis statuere possumus. — Altero genere ampliores carminum particulae, quae universe cum graecorum carminum partibus quibusdam congruunt, continentur.

Alterum genus singula verba et conjunctiones verborum comprehendit. Eadem enim epitheta ac poëtae graeci Vergilius saepe rebus adjecit et iisdem figuris verborumque conformationibus usus est. Sermonem quoque, quem alloquentes, adhortantes, lamentantes, optantes, dubitantes, sermocinantes quosdam edere facit, ad Graecorum exemplarium rationem expressit et permultas imagines ac comparationes a Graecis petiit. Multi quoque loci, quibus naturae rerum amoenitates describuntur, imitationem produnt[1]).

---

[1]) Ejusmodi loci ad naturae res spectantes, qui imitationis Vergilium in bucolicis coarguunt, permulti exstant, sed merito in hac parte dissertationis, qua singula carminum adumbrata collegi, omittendos eos duxi, quod bucolicorum Vergilianorum omnes fere partes Theocriti imitatione ita imbutae sunt, ut singula quaedam delecta hic ponere negotii pretium non foret, nisi forte paucos locos afferre placeat, quos non tam adumbratos quam conversos prorsus Vergilius perhibet; cf.

Quaecunque verö exempla imitationis a nobis hic afferentur, verae imitationis esse censemus.

Ac primum quidem, quantum epitheta Graecorum Maro imitatus sit, multis ex locis apparet. Gebauerius [1]) summa industria et sagacitate ea, quae e Theocrito ceterisque bucolicis poëtis graecis Vergilius transtulisse putandus sit, collegit. Sed numerum epithetorum nimis magnum protulisse eum existimo; etenim multa huc trahi video, quae neque ex imitatione Graecorum profecta pro imitationis notione supra a nobis circumscripta habere licet, nec rationibus,[2]) ad quas epitheta Gebauerius redegit, ut adumbrata probantur. Sic, ut unum exemplum afferam[3]), „pinguibus arvis“ Ecl. V, 33 confert cum „πιείρᾳ ἀρούρᾳ“[4]) id XVIII, 29. In his autem duobus verbis „pinguis“ epitheton adumbratum esse censet eam ob causam, quod cum simili substantivo conjunctum a Vergilio et a Theocrito perhibetur. Equidem nullo modo in his duobus imitationem agnoscere possum. Illud enim substantivum, quod est „arvis,“ minime, si sine hoc epitheto a poëta usurparetur, de Theocrito ductum esse quis contenderet; adeo autem sollemniter hoc ipsum epitheton huic substantivo subjungitur, ut in epitheto

Ecl. II, 9: Nunc viridis etiam occultant spineta lacertos,
coll. Theoc. id. VII, 22: Ἀνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐφ᾽αἱμασιαῖσι καθεύδει.
Ecl. VII, 13: . . . eque sacra resonant examina quercu,
coll. Theocr. id. I, 107: Ὧδε καλὸν βομβεῦντι ποτὶ σμάνεσσι μελίσσαι.
Ecl IX, 57 sq.: Est nunc omne tibi stratum silet aequor et omnes
Adspice ventosi reciderunt murmuris aurae.
çoll. Theocr. id. II, 38 Ἠνίδε σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ᾽ἀῆται.

[1]) Dissertatio gymnasii Zwickaviensis annalibus subjuncta 1863: Quatenus in epithetis Verg. imitatus sit Theocritum.

[2]) l. l. ea protulit epitheta, quae cum tota sententia vel cum aliis verbis de bucolicis poëtis Vergilius transtulit, deinde quae in sententia Vergilii propria dicta sunt exquisitius, tertium quae totius carminis imitationi originem videntur debere, postremo quae ipsa locorum copia ex Theocrito sumta suadet.

[3]) l. l. pag 6.

[4]) Ceterum Geb. πιείρᾳ ἀρούρᾳ minus ἀκριβῶς contulit, comparandum potius Il. XII, 283: πίονα ἔργα.

quoque hic ponendo imitationem non inveniamus. Omnino ergo, cum epitheton ipsum ab imitatione abhorreat et epitheti substantivique illius conjunctio sollemnis sit, cur ad imitationem [1]) haec verba Gebauerius rettulerit, non video. Et ita, ne epitheta imitationis speciem tantum praebentia [2]) afferamus, caventes vere a Graecis ducta hic posuimus.

Arbores quidem, ut fagi Ecl. I, 1 „patulae" dicuntur; ita apud Homerum Od. XIII, 102. 346: „*τανύφυλλος ἐλαίη*," apud Moschum V, 11: „*βαθύφυλλος* [3]) *πλάτανος*."

Castaneae „hirsutae" Ecl. VII, 53 coll. Theocr. id. XXVI, 3 : . . *λασίας δρυὸς ἄγρια φύλλα*.

Fluvius Georg. III, 521: „purior electro" coll. Callim. in hymno in Cerer. 29 sq.:

„. . . . . *τόδ᾽ ὥστ᾽ ἀλέκτρινον ὕδωρ*
Ἐξ ἀμαρᾶν ἀνέθυε."

Aen. VII, 430: flumine „pulcro" coll. Il. II, 752. XII, 33: „*καλλίῤῥοον*" *ὕδωρ*. cf. Il XXII, 147.

Fortasse ab imitatione abesse hoc epitheton Vergilii contendet quis; nos, ut adumbratum agnoscamus, adducimur, quia parum poëta dignum fuisset, flumini tale epitheton adeo vul-

---

[1]) Gebauerium imitationis notionem minime circumscriptam accepisse, ex hoc videas pag. 6: „Quoniam haec omnia fere vulgaria sunt, imitationem in eis ita agnosco, ut minime existimem Vergilium sine Theocriti exemplo similia non fuisse inventurum." Hoc si fieri potuisse creditur, imitatio omnino hic non exstat, sed necessaria similitudo, quae ab imitatione prorsus abhorret, statuitur cf. pag. 14.

[2]) Hujus generis maxime perspicui loci sunt: Ecl X, 42: gelidi fontes; Ecl. VII, 55: formosus Alexis; Ecl. VIII, 44: extremi Garamantes; Ecl. X, 65: frigoribus mediis; Ecl. III, 93 et VIII, 71: frigidus anguis; Ecl. VII, 47: aestas torrida: Ecl. III, 55: molli herba; Ecl. VI, 59: herba viridi; Ecl. VIII, 15: in tenera herba; Ecl. IV, 29: rubens uva; Ecl. VI, 4: pinguis ovis; Ecl. VI, 46: nivei juvenci; Ecl. II, 64: lasciva capella; Ecl. II, 20: nivei lactis; Ecl. I, 35: pinguis caseus.

[3]) Minus recte Gebauerius l. l. pag. 11 hunc locum cum Theocr. XII, 8: *σκιερὴν ὑπὸ φηγὸν*, et cum eis quae infra adjecit contulit, sed cum patendi notio huic epitheto insit, cum similibus graecis ut *τανύφυλλος*, *βαθύφυλλος* comparandum est.

gare ac tritum adjungere, nisi graecum illud exprimere voluisset *καλλίῤῥοον*.

„Taurino vultu“ flumen est Georg. IV, 371:

„Et gemina auratus taurino cornua vultu.“

coll. Eurip. in Jone v. 1261 de Cephiso:

„Ὦ ταυρόμορφον ὄμμα Κηφίσου πατρός.“

Flammae vires „indomitae“, Aen. V, 681 coll. Hom. Il. V, 4. Od. XX, 123: „ἀκάματον πῦρ.“ Haud ignoro, si accuratius quaerimus, duo haec epitheta non plane congruere; sed prope alterum ad alterum accedit, cum, quod ἀκάματον est i. e. quod defatigari nequit, domari non posse dici possit. Ceterum sine dubio illud epitheton Vergilius imitari voluit.

Rupes Ecl. VI, 29: „Parnasia“ rupes, coll. Theocr. VII, 148: *Παρνάσιον αἶπος*. Georg. III, 52 pro lato „turpe“ caput ponitur; haud dissimiliter Hom. Il. XIII, 139 pro *μεγάλης* „ἀναιδέος“ *πέτρης*.

Olympus Georg. III, 223: „longus“ Olympus, coll. Hom. Il. XV, 193: „μακρὸς“ Ὄλυμπος.

Capellae Ecl. X, 7: „simae“ virgulta capellae, coll. Theocr. id. VIII, 50:

„. . . . ὦ σιμαὶ δεῦτ᾽ ἐφ᾽ ὕδωρ ἔριφοι.“

Bovis „perpetuum“ tergum est Aen. VIII, 183 coll. *νώτοισιν* „διηνεκέεσσι“ Hom. Il. VII, 321. Od. VI, 437.

Comae Aen. I, 403: „ambrosiaeque“ comae, coll. Hom. Il. I, 529: „ἀμβρόσιαι“ δ᾽ ἄρα χαῖται.

Arma Aen. X, 181: armis „versicoloribus,“ coll. Hom. Il. V, 504: *Τεύχεα* „ποικίλα“ *χαλκῷ*. Rectius hoc epitheton huc trahendum puto quam *αἰόλα τεύχεα* Il. V, 295; *αἰόλος* enim de rebus, quae motu agitatae variis coloribus coruscant, usurpari solet, hic autem de agitatis armis poëta non cogitavit.

Porro hominum ac deorum epitheta a Graecis ducta:

„Hinc populi late regem“ Aen. I, 21 coll. Hom. Il. I, 102. 355. et alibi: „εὐρυκρείων“ Ἀγαμέμνων.

„Innupta“ Minerva Aen. II, 31 coll. Eurip. Troad. 537: *χάριν* „ἄζυγος“ *ἀμβροτοπώλου*.

„Flava" Ceres Georg. I, 96 coll. Hom. Il. V, 500: „ξανθὴ" Δημήτηρ.

„Casta" Lucina Ecl. IV, 10 coll. Hom. Od. XI, 386: „ἁγνὴ" Περσεφόνεια.

„Saeva" dea Circe[1]) dicitur Aen. VII, 19 coll. Od. X, 136: „δεινὴ" θεός.

„Saltantes" Satyros Ecl. V, 73 coll. Mosch. VI, 2: „σκιρτητὰς" σατύρους.

Mortalibus „aegris" Georg. I, 237 et III, 66 coll Hom. Od. XII, 341. XV, 408: „δειλοῖσι" βροτοῖσιν.

Adjungere hic liceat plura quaedam, quae quidem non epithetorum vice funguntur, attamen, quamvis ex pluribus verbis componantur, cum personis epithetorum modo subjungantur, simile quid ornantis epitheti habent.

Ulysses appellatur: „dolis instructus" Aen. II, 152 coll. Hom. Il. IV, 339: κακοῖσι „δόλοισι κεκασμένος."

„fandi fictor" IX, 602 coll. Il. XXII, 281: „ἐπίκλοπος μύθων."

Aeneas: „os humerosque deo similis" Aen. I, 589 coll. Od. I, 371: „θεοῖς ἐναλίγκιος ἄντην."

Porro in conformationibus orationis figurae a Graecis petitae apud Vergilium occurrunt.

Metaphorarum quidem generis inveniuntur: Ecl I, 70, ubi „aristas" pro aestate poëta posuit, coll. Rhiani ἐν τοῖς ἔπεσιν ap. Pausan. IV, 17, 11:

Οὔρεος ἀργεννοῖο περιπτυχὰς ἐστρατόωντο,
Χείματά τε ποίας τε δύω καὶ εἴκοσι πάσας.

Ecl. VII, 43 „lucem" pro die:

Si mihi non haec lux toto jam longior anno est.

coll. Eurip. Hecub. v. 32:

Τριταῖον ἤδη φέγγος αἰωρούμενος.

---

[1]) Aen. VIII, 393: „laeta dolis" Circe appellatur: haud ita multum discrepat ab Hom. Il. XIV, 329. „δολοφρονέουσα."

Poëseos gravitatem et majestatem cothurnum poëta dicit Ecl. VIII, 18:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

coll. Pind. Ol. III, 5: *Δωρίῳ πεδίλῳ.*

„Supercilium' pro superiore montis parte:

Georg. I, 108: Ecce supercilio clivosi tramitis. coll. Il. XX, 151:

Οἱδ' ἑτέρωσε κάθιζον ἐπ' ὀφρύσι Καλλικολώνης.

Metonymiae deprehenduntur:

Georg. I, 325:

Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores

coll. Hes. opp. et dies v. 46: *ἔργα βοῶν*

Aen. I, 68: Ilium in Italiam portans; tale illud Eurip. Orest. v. 1365:

Πάριν ὃς ἄγαγ' Ἑλλάδ' εἰς Ἴλιον.

Similiter Aen. VIII, 36:

. . . . . . Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis.

Dolus pro equo ad dolum vel insidias facto: Aen. II, 264:

. . . . . ipse doli fabricator Epeos. coll. Od. VIII, 494:
ὅν ποτ' ἐς ἀκρόπολιν δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς.

Enallages figuram Vergilius recepit:

pro bello Martis opus usurpans: Aen VIII, 516:

Militiam et grave Martis opus . . . . .

coll. Il. XI, 734: *Ἀλλά σφι προπάροιθε φάνη μέγα ἔργον Ἄρηος.*

Jupiter hominum ac deorum sator: Aen. I, 254:

Olli subridens hominum sator atque deorum coll. Il. V, 426: *Ὣς φάτο μείδησεν δὲ πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶντε*

Referri quoque huc potest:

Ecl. VII, 7: Vir gregis ipse caper deerraverat. coll. Theocr. VIII, 49: *Ὦ τράγε τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ.* cf. etiam Leon. Tar. 61: *Ἴξαλος εὐπώγων αἰγὸς πόσις.*

Synecdochen Vergilius transtulit:

Georg. I, 9, ubi Acheloum, Aetoliae flumen, pro aqua quacunque usurpat:

poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis coll. Eurip. Bacch. v. 615:

. . . . . . δμωσὶν Ἀχελῷον φέρειν
ἐννέπων.

Simili modo pars pro toto ponitur Aen. V, 61:

Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita in naves. i. e. binos boves dat

coll. Il. XXIII, 260:

ἵππους θ' ἡμιόνους τε βοῶν τ' ἴφθιμα κάρηνα.

Et ita quidem non has figuras tantum, sed verborum conjunctiones *μεταφορικὰς* a Graecis complures Vergilius traxit; huc refero:

Aen. I, 92: solvuntur membra coll. Od. V, 297: *Καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα*, et alibi.

Ecl. I, 46: summittite tauros, coll. Theocr. id. IX, 3: *βωσὶν ὑφέντες*. cf. etiam id. IV, 4.

Ecl. VIII, 41: ut me malus abstulit error, coll. Theocr. id. II, 85: *ἀλλά τίς καπυρὰ νόσος ἐξαλάπαξε.*

Ecl. III, 54: sensibus haec imis . . . . reponas. coll. Il. I, 297 et alibi:

. . . . σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.

Venimus nunc ad afferenda exempla, quibus in loquendi genere personarum, quae a poëta inducantur, Vergilium quaedam imitatum esse demonstratur.

Allocutionis vero et adhortationis exempla complectentes locos cum Graecis compares, ubi, ut saepe fit a poëtis, Jupiter vel Musae invocantur:

Ecl. III, 60: Ab Jove principium Musae: Jovis omnia plena. coll. Arat. phaenom. I, 1: *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα*, et alibi.

Aen. VII 37:

Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum.

coll. Apoll. Rhod. III, 1:

Εἰ δ' ἄγε νῦν, Ἐρατώ, παρὰ θ' ἵστασο, καί μοι ἔνισπε.

Minus apte a Vergilio quam ab Apollonio Erato invocatur; etenim cum Vergilius historias regum et Latii statum pris-

cum describere vellet, Calliopen musam, quae historiae rebus praeposita est, invocare debuit; Apollonius recte Eratonem alloquitur ad Medeae amorem enarrandum.

Ecl. VIII, 11: A te principium (esto), tibi desinet coll. Il. IX, 97: Ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι.

Ecl. III. 58: Incipe Damoeta, tu deinde sequere Menalca. coll. Theocr. id. IX, 2:

Ωἰδᾶς ἄρχεο πρᾶτος, ἐφεψάσθω δὲ Μενάλκας.

Ecl. VIII, 61: Desine Maenalios, jam desine tibia versus. coll. Theocr. id. I, 127. 131. 137. 142:

Λήγετε βωκολικᾶς, Μῶσαι, ἴτε λήγετ' ἀοιδᾶς.

Aen. II, 149: . . . . mihique haec edissere vera roganti. coll. Hom. Il. X, 384:

Ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον.

Lamentationem Vergilius expressit:
Ecl. II, 69: Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit! et VI, 47: Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit! coll. Soph. Oed. reg. v. 1299:

Τίς σ' ὦ τλάμων προσέβα μανία, et Theocr. id 11, 72:
Ὦ Κύκλωψ, Κύκλωψ, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι.

Aen. IX, 485—487, ubi mater Euryali mortuum illum deplorat:

Heu terra ignota canibus date praeda Latinis
alitibusque jaces! nec te tua funera mater
produxi.

coll. Od. XXIV, 299 sqq: . . . *ὅν που τῆλε φιλῶν καὶ πατρίδος αἴης*
θηρσὶ καὶ οἰωνοῖσι ἕλωρ γένετ' οὐδέ ἑ μήτηρ
κλαῦσε περιστείλασα.

Optationes adumbratae inveniuntur:
Aen. VIII, 560: O mihi praeteritos referat si Jupiter annos. coll. Il. VII, 157:

εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη δέ μοι ἔμπεδος εἴη.

Preces sollemni ac nota formula incipiuntur: Aen. IX, 406 sq:

Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
dona tulit . . . .

coll. Od. IV, 763 sq:

Εἴποτέ τοι πολύμητις ἐνὶ μεγάροισιν Ὀδυσσεύς
ἢ βοὸς ἢ ὄϊος κατὰ πίονα μηρί᾽ ἔκηεν.

cf. etiam Od. XVII, 240. Il. V, 116.

His quoque jurisjurandi formulae initium jungas: Aen. XII, 176: Esto nunc Sol testis et haec mihi terra vocanti! coll Od. V, 184: *Ἴστω νῦν τόδε Γαῖα καὶ Οὔρανος εὐρὺς ὕπερθεν.* cf. Il. III, 276 sqq. XV, 36 sqq. XIX, 258 sqq.

Amantium optationes exstant:

Ecl. II, 28 sq: O tantum libeat mecum tibi sordida rura
atque humiles habitare casas!

coll. Theocr. id. XI, 65: *Ποιμαίνειν δ᾽ ἐθέλοις σὺν ἐμὶν ἅμα.*
Ecl. III, 89: Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum!
coll. Theocr. id. V, 124 sq:

Ἱμέρα ἀνθ᾽ ὕδατος ῥείτω γάλα . . . .
. . . . τὰ δέ τοι σία καρπὸν ἐνείκαι.

Interrogationes adumbrantur:

Ecl. IX. 1: Quo te Moeri pedes? . . coll. Theocr. id. VII, 21:

Σιμιχίδα, πᾶ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις;

Notum quoque illud Aen. I, 369:

Sed vos qui tandem? ad Homericum poëta expressit Od. I, 169 et alibi: *Τίς, πόθεν εἶς ἀνδρῶν.* Similiter Aen. VII, 196 coll. Od. III, 71.

Sermocinantium denique personarum apud Vergilium multa sermonis argumenta a Graecis petita sunt.

Ecl. II, 20—22:

Quam dives pecoris, niveï quam lactis abundans
mille meae Siculis errant in montibus agnae,
lac mihi non aestate novum, non frigore defit.

coll. Theocr. id XI, 34—37:

Ἀλλ᾽ ὡὖτὸς τοιοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω,
κὴκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενος γάλα πίνω.

τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρᾳ,
οὐ χειμῶνος ἄκρῳ.

Ecl. II, 25:

Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi.

coll. Theocr. id. VI, 34:

Καὶ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν, ὥς με λέγοντι.

Ecl. II, 73: Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

coll. Theocr. id. XI. 76:

Εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλαν.

Ecl. III, 32—34:

De grege non ausim quidquam deponere tecum:
est mihi namque domi pater, est injusta noverca;
bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.

coll. Theocr. id. VIII, 15 sq:

Οὐ θησῶ πόκα γ' ἀμνὸν ἐπεὶ χαλεπός θ' ὁ πατήρ μευ
χ' ἁ μάτηρ. τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι.

Ecl. III, 68 sq:

Parta meae Veneri sunt munera, namque notavi
ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.

coll. Theocr. id. V, 96 sq:

Κἠγὼ μὲν δωσῶ τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν,
ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών· τηνεὶ γὰρ ἐφίσδει.

Ecl. VIII, 43 45:

Nunc scio, quid sit Amor: duris in cotibus illum
aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes,
nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.

coll. Theocr. id. III, 15 sq:

Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα· βαρὺς θεός· ἦ ῥα λεαίνας
μασδὸν ἐθήλαξε, δρυμῷ τέ μιν ἔστραφε μάτηρ.

Ecl. IX, 23—25:

Tityre dum redeo (brevis est via) pasce capellas:
et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
occursare capro, cornu ferit ille, caveto.

coll. Theocr. id. III, 3—5:

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε βόσκε τὰς αἶγας
καὶ ποτὶ κράναν ἄγε Τίτυρε· καὶ τὸν ἐνόρχαν

τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μή τυ κορύξῃ.

Ab Homero traxit Aen. I, 378 sq:

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
classe veho mecum fama super aethera notus.

coll. Od. IX, 19 sq:

Εἴμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν
ἀνθρώποισι μέλω, καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.

ex Euripide Aen. I, 76 sq:

. . . . . . Tuus, o regina, quid optes
explorare labor; mihi jussa capessere fas est.

coll. Eurip. Supplic. v. 98 sq; ubi Theseus dicit:

Τί ταῦτα μῆτερ, σὸν τὸ μηνύειν ἐμοί,
ἡμῶν δ' ἀκούειν.

Magnam quidem delectationem legentium animis comparationibus et imaginibus parari constat. Itaque multis locis Homerum praecipue secutus carminibus eas Vergilius inseruit. Sed non aequabiliter in omnibus Aeneïdos partibus eas dispositas videmus. Etenim cum in priore Aeneïdos parte Odysseam paucioribus comparationibus Iliade illustratam, in posteriore Iliadem plures comparationes continentem exemplar sibi proposuisset, multo minor in prioribus sex libris numerus invenitur [1]) quam in posterioribus sex [2]). Saepius in hac re, ut fere fit ab imitatoribus. nimietate modum excessit Maro, [3]) in plurimis vero comparationibus [4]) suavitatem ac dulcedinem haudquaquam desideramus. Nec varietatem in eis scribendis neglexit. cum undique argumenta peteret [5]). — Atque comparationum exempla ut ad genera quaedam revocentur, bipartienda sunt. Exstant enim comparationes, quae a rebus ac

[1]) praeter libr. II, quem ad Leschae Iliadem effinxisse dicitur et V, cujus exemplar Iliados lib. XXIII est.

[2]) cf. Aen. X, 693 sqq. 707 sqq. 723 sqq. XI, 611 sqq. 616 sqq. 624 sqq. 638 sqq. XII, 701 sqq. 715 sqq. 734 sqq. 749 sqq.

[3]) v. c. XI, 720 sqq. coll. Il. XXV, 138 sqq.

[4]) exceptis Ecl. VII, 41 et 51.

[5]) Rhetoric. ad Herennium IV, 48 auctor enumerat, unde similitudines quis venari possit.

vita animantium et eae, quae e natura inanima sumtae sunt. Multo major illarum, quam harum numerus apud Vergilium invenitur[6])

Nunc, quae ad propositum non plane spectant, omissis, comparationum exempla ad genera illa disposita, quae de Graecis petita putamus, deinceps hic colligamus.

Ad vitam animantium spectantibus primum eae adnumerandae, in quibus cum deis homines conferuntur. Ita Aen. I, 498—504:

Qualis in Eurotae ripis aut per juga Cynthi,
exercet Diana choros, quam mille secutae
hinc atque hinc glomerantur Oreades, ita pharetram
fert humero gradiensque deas supereminet omnes;
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
per medios, instans operi regnisque futuris.

coll. Od. VI, 102—109:

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα
ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον,
τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃσ' ἐλάφοισιν,
τῇ δέ θ' ἅμα Νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο
ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ·
πασάων θ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα
— — — — — — — — —
Ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.

Hac in comparatione non recte Didonem Dianae contulisse poëtam Ursino visum est, quoniam Sichaeo jam nupta fuisset Dido. Inepta haec vituperatio.

Aen. IV, 143—150:

Qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
deserit ac Delum maternam invisit Apollo,
instauratque choros, mixtique altaria circum

---

[6]) cf. quae Eppelinus: Ueber die Vergleichungen Vergils. Lahr 1862 de hujus rei causa dicit pag. 8.

Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi;
ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
fronde premit crinem fingens atque implicat auro;
tela sonant humeris. — Haud illo segnior ibat
Aeneas. coll. Ap. Rhod. Argon. I, 307—310:
*Οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων
Δῆλον ἀν' ἠγαθέην ἠὲ Κλάρον ἢ ὅ γε Πυθώ
ἢ Λυκίην εὐρεῖαν ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσιν,
Τοῖος ἀνὰ πληθὺν δήμου κίεν.*

Apparet, paullo ornatius Apollonio Vergilium Apollinem depinxisse, cum non tam festo die terras cultui suo deditas permigrare eum exponat, sed de suo quaedam adjiciat, quibus Apollinis imago circumscriptior et clarior legenti obversetur. Effecit hoc verbis: „mollique fluentem fronde premit crinem fingens atque implicat auro. Tela sonant humeris.“

D e i c u m h o m i n i b u s comparantur [1])
Aen. VIII, 408—414:
. . . . cum femina primum
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
impositum cinerem et sopitos suscitat ignes,
noctem addens operi; famulasque ad lumina longe
exercet penso; castum ut servare cubile
conjugis et possit parvos educere natos:
Haud secus ignipotens.

Hanc comparationem partim de Homero partim de Apollonio Vergilius transtulit. Compares
Il. XII, 433—435:
. . . . *ὥστε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις ἀληθής
Ἥτε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον, ἀμφὶς ἀνέλκει
ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται.*
et Ap. Rhod. Arg. IV, 1062—1066:

[1]) Ut raro tales comparationes a deis aut heroibus petitae apud Vergilium exstent, inde fieri Eppelinus putat, quod deorum verecundia quadam penitus insita poëta impeditus sit. Sed, si recte judico, ea de causa factum est, quod paucas tantummodo tales comparationes apud Homerum Vergilius imitandas deprehendit.

Οἷον ὅτε κλωστῆρα γυνὴ ταλαεργὸς ἑλίσσει
ἐννυχίη· τῇ δ' ἄμφι κινύρεται ὀρφανὰ τέκνα
χηροσύνη πόσιος· σταλάει δ' ὕπο δάκρυ παρειάς
μυρομένης, οἵη μιν ἐπισμυγερὴ λάβεν αἶσα.
ὣς τῆς ἰκμαίνοντο παρηΐδες.

Ad Homerum eam imaginis partem, qua lanificium *γυναικὶ χερνήτιδι* victum tenuem praebens, ad Apollonium eam, qua misera feminae conditio exponitur, Maro expressit.

Omnino ex humana vita petita:

Georg. IV, 433 - 436:

Ipse velut stabuli custos in montibus olim
vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit
— — — — — — — —
Considit scopulo medius numerumque recenset.

coll. Od. IV, 412 sq.:

Αὐτὰρ ἐπὴν πάσας πεμπάσσεται ἠδὲ ἴδηται
λέξεται ἐν μέσσησι, νομεὺς ὣς πώεσι μήλων.

Amplificavit archetypi imaginem Vergilius ita, ut et locum (in montibus) et tempus (vesper, ubi e pastu vitulos ad tecta reducit) haud injucunde adjiceret.

Plurimam autem comparationum materiam ex animalium vita traxit, cujus rei causa quae sit, [1]) satis patet. Namque cum non tam multa similia hominibus animalium natura exhibeat quam sensibus viribusque saepissime his superior sit, nihil inde ab antiquis temporibus poëtis aptius visum est ad affectus quosdam vel actiones hominum luculenter in conspectu ponendas, quam, quae animalium propria sunt, ad homines depingendos adsciscere. Ita Vergilius quoque magnum studium in talibus comparationibus imitandis consumpsit.

Sedulae et assiduae turbae imaginem apum res praebent: Aen. VI, 706 - 708:

Ac veluti in pratis ubi apes aestate serena
floribus insidunt variis, et candida circum
lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.

---

[1]) Ceterum videas Eppelin l. l. pag. 11.

coll. Ap. Rhod. Arg. I, 879 - 883:

Ὡς δ' ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέουσι μέλισσαι
πέτρης ἐκχύμεναι σιμβλήϊδες ἀμφὶ δὲ λειμών
ἑρσήεις γάνυται καὶ δὲ γλυκὺν ἄλλοτε ἄλλον,
καρπὸν ἀμέργουσιν πεποτημέναι, ὣς ἄρα ταίγε
ἐνδυκὲς ἀνέρας ἀμφὶ κινυρόμεναι προχέοντο.

Inferior sine dubio hic imitator. Apollonii enim imago multo plus alacris agitationis quam Vergilii comparatio spirat (cf. ἐκχύμεναι, πεποτημέναι) et murmur etiam, quale turba edere solet, expressit (περιβρομέουσι), id quod Vergilius omisit.

Similiter Aen. I, 427--433:

Hic portus alii effodiunt; hic alta theatri
fundamenta locant alii, immanesque columnas
rupibus excidunt scenis decora alta futuris.
Qualis apes aestate nova per florea rura
exercet sub sole labor; cum gentis adultos
educunt fetus aut cum liquentia mella
stipant, et dulci distendunt nectare cellas.

coll. Il. II, 87—92:

Ἠΰγε ἔθνεα εἶσι μελισσάων αδινάων
πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων·
βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.
αἱ μὲν τ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα·
ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
ἠϊόνος προπάροιθε βαθείης ἐστιχόωντο.

Perturbationis trepidae speciem apum examen fumigatione a mellario, ut favos eximat, alvearibus expulsum habet: Aen. XII, 586—592:

Arma ferunt alii et pergunt defendere muros:
inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
vestigavit apes, fumoque implevit amaro;
illae intus trepidae rerum per cerea castra
Discurrunt magnique acuunt stridoribus iras;
volvitur ater odor tectis; tum murmure caeco

Intus saxa sonant: vacuas it fumus ad auras [1].)
coll. Ap. Rhod. Arg. II, 130—136.

Ὡς δὲ μελισσάων σμῆνος μέγα μηλοβοτῆρες
ἠὲ μελισσοκόμοι πέτρῃ ἔνι καπνιόωσιν,
αἱ δ'ἤτοι τείως μὲν ἀολλέες ᾧ ἐνὶ σίμβλῳ
βομβηδὸν κλονέονται, ἐπιπρὸ δὲ λιγνυόεντι
καπνῷ τυφόμεναι πέτρης, ἑκὰς ἀΐσσουσιν·
ὥς οἵ γ' οὐκέτι δὴν μένον ἔμπεδον, ἀλλὰ κεδασθὲν
εἴσω Βεβρυκίης Ἀμύκου μόρον ἀγγελέοντες.

A serpentibus petita, ut hostis subito ac clandestine impetum faciens depingatur: Aen. II, 471—476:

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
nunc positis novus exuviis nitidusque juventa,
lubrica convolvit sublato pectore terga
arduus ad solem et linguis micat ore trifulcis:
una ingens Periphas et equorum agitator Achillis.

coll. Il. XXII, 93—96:

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσιν,
βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ' ἔδυ δέ τέ μιν χόλος αἰνός
σμερδαλέον δὲ δέδορκεν, ἑλισσόμενος περὶ χειῇ·
ὣς Ἕκτωρ, ἄσβεστον ἔχων μένος, οὐχ ὑπεχώρει.

Dubitare quis possit, utrum Vergilius hunc Homeri locum spectaverit, cum plura (quae quidem haud apte hic posita mihi videntur) adjecerit. Aliae autem imaginis partes apertae imitationis speciem revelant v. c. mala gramina pastus coll. *βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα*; lubrica convolvit sqq. coll. *ἑλισσόμενος περὶ χειῇ*. Cf. etiam Nicand. Theriac. 31 sqq., quem locum Vergilium respexisse interpretes volunt. Improbo; Homerica enim comparatio tantum materiae ei obtulerat, quod imitari posset, ut Nicandri versibus hic poëtae opus non esset. Et nihil aliud,

---

[1]) Injuria Heynius ad h. locum applicationem comparationis desiderat, quam supplendam esse ita in fine comparationis censet: „similis fortuna et trepidatio nunc erat in urbe Latinorum.“ Rectius judicare mihi videor, si apodosin versu 586. jam comprehendi censeo.

si quaerimus, ut Nicandri imitationem interpretes colligerent, eos adduxit, nisi verbum „pastus“ coll. Nicandri l. l.: *ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς*. Cf. etiam Aen II, 379 sqq. coll. Il. III, 33 sqq.

Avium turba volantium agitatae militum multitudinis speciem praebet. Huc referenda

Aen. VII, 698—702:

Ibant (sc. milites) aequati numero regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
cum sese e pastu referunt, et longa canoros
dant per colla modos; sonat amnis et Asia longe
pulsa palus.

coll. Il. II, 459—465:

Τῶν δ' ὥστ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
Χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν,
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών.
ὣς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων
ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον.

cf. Ap. Rhod. Arg. IV, 1300 sqq. Imitari voluisse Vergilium hunc Homeri locum nemo non videt, sed paullo variare imaginem ab Homero tractam eum oportuit. Ipse enim, cum aequatam pugnaturorum aciem depingere vellet, ea ex Homerica imagine ad imaginem suam transferre non potuit, quae ad perturbationem pertinent v. c. *ἔνθα καὶ ἔνθα* et alia.

Aen. XI, 720—724:

Congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit:
quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
consequitur pennis sublimem in nube columbam,
comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis;
tum cruor et volsae labuntur et aethere plumae.

coll. Il. XXII, 138—143:

Πηλείδης δ' ἐπόρουσε ποσὶ κραιπνοῖσι πεποιθώς,
ἠΰτε κίρκος ὄρεσφιν ἐλαφρότατος πετεηνῶν,

ῥηϊδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν·
ἡ δὲ θ᾽ ὕπαιθα φοβεῖται ὁ δ᾽ ἐγγύθεν ὀξὺ λεληκὼς
ταρφέ᾽ ἐπαΐσσει ἑλέειν τέ ἑ θυμὸς ἀνώγει·
ὣς ἄῤ ὅγ, ἐμμεμαὼς ἰθὺς πέτετο.

Longe cedere Vergilium Homero credo, quod comparandi modum excessit. Uterque enim poëta hominem pugnandi cupiditate incensum ad proelium profecturum demum, hic Peliden, ille Camillam, describit. Recte igitur Homerus *κίρκον* non columbam raptam jam tenentem et carpentem, sed talem effinxit, quem *θυμὸς* demum *ἑλέειν ἀνώγει.* Vergilius vero nimietate quadam fines comparationis excedens comparationi columbam ab accipitre convulsam et comesam adjecit, et hac re nullo modo neque amoeni quid neque perspicui rei comparatae attulit.

Spectat huc etiam Aen. IX, 563 sqq. coll. Il. XVII, 674 sqq; nequaquam autem, quam fere comparant Aen. V, 213 sqq. coll. Il. XXI, 494 sqq. adumbrata comparatio censenda est.

Saepius l u p i comparantur ut saevitiae et crudelitatis et ignaviae interpretes.

Ignaviae imago lupus Aen. XI, 809 - 814:
Ac velut ille, priusquam tela inimica sequantur,
continuo in montes sese avius abdidit altos,
occiso pastore lupus magnove juvenco,
conscius audacis facti caudamque remulcens
subjecit pavitantem utero, silvasque petivit;
haud secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns.

coll. Il. XV, 586—589:
Ἀλλ᾽ ὅγ᾽ ἄρ᾽ ἔτρεσε θηρὶ κακὸν ῥέξαντι ἐοικώς,
ὅςτε κύνα κτείνας ἢ βουκόλον ἀμφὶ βόεσσιν
φεύγει πρίν περ ὅμιλον ἀολλισθήμεναι ἀνδρῶν·
ὣς τρέσε Νεςτορίδης·

Pauca lineamenta et pulcre quidem Verg. adjecit, quae verss 812. 813. comprehenduntur. Ceterum pares Vergilius et Homerus hic sunt.

Lupi fame ac siti excruciati rabies cum pugnantium furore comparatur Aen. IX, 59—66:

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
nocte super media; tuti sub matribus agni
balatum exercent: ille asper et improbus ira
saevit in absentes; conlecta fatigat edendi
ex longo rabies, et siccae sanguine fauces.
Haud aliter Rutulo, muros et castra tuenti,
ignescunt irae.

coll. Ap. Rhod. Arg. I, 1243—1248:

βῆ δὲ μεταΐξας Πηγέων σχεδὸν ἠΰτε τις θὴρ
ἄγριος, ὅν ῥά τε γῆρυς ἀπόπροθεν ἵκετο μήλων,
λιμῷ δ᾽ αἰθόμενος μετανίσσεται οὐδ᾽ ἐπέκυρσεν
ποίμνῃσιν· πρὸ γὰρ αὐτοὶ ἐνὶ σταθμοῖσι νομῆες
ἔλσαν· ὁ δὲ στενάχων βρέμει ἄσπετον, ὄφρα κάμῃσιν·
ὣς τότ᾽ ἄρ᾽ Εἰλατίδης μεγάλ᾽ ἔστενεν.

Sine dubio, etsi lupus hic non nominatur, ille intelligendus, cum de fera sermo fiat. Ceterum in hac comparatione imitanda Vergilius superior, quoniam, id quod summum est in hac imagine, rabies lupi et ipsa (cf. siccae sanguine fauces) et res, quae rabiem augent (v. 61. 62.), ornatius et diligentius ab eo depinguntur.

Ad leonem, quem crudelitatis imaginem poëtae sumunt, spectat Aen. IX, 339—342:

Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans,
suadet enim vesana fames manditque trahitque
molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento;
nec minor Euryali caedes.

coll. Il. XII, 299—301 et 307:

βῆ ῥ᾽ ἴμεν, ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅστ᾽, ἐπιδευὴς
δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ,
μήλων πειρήσοντα, καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν·

— — — — — — —

ὥς ῥα τότ' ἀντίθεον Σαρπηδόνα θυμὸς ἀνῆκεν
τεῖχος ἐπαΐξαι.

cf. etiam Aen. V, 724 sqq. simile exstat Il. X, 485—488 et Od. VI, 130 – 136. Etiam hic nimius Vergilius putandus, cum Homerus in comparandi finibus se teneat. Vergilium enim Euryalum trucidantem furentemque comparatione leonis illustraturum caedis leonis descriptionem („manditque trahitque"), in qua nihil est, quod cum Euryali actione comparandum quid praebet nec jucundi quid habet, omittere debuisse credo. Homerus rei collatae comparationem idoneam scripsit.

Aen. X, 454 – 456:

. . . . . . utque leo specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in proelia taurum,
advolat; haud alia est Turni venientis imago.

coll. Il. XVI, 487—491:

ἠΰτε ταῦρον ἔπεφνε λέων, ἀγέληφι μετελθών,
αἴθωνα μεγάθυμον ἐν εἰλιπόδεσσι βόεσσιν,
ὤλετό τε στενάχων ὑπὸ γαμφηλῇσι λέοντος·
ὣς ὑπὸ Πατρόκλῳ Λυκίων ἀγὸς ἀσπιστάων
κτεινόμενος μενέαινε.

Tale illud Il. XV, 630 sqq. et X, 485 sqq. Haud plane in omnibus partibus duo haec congruunt, sed, cum simillima certe sint, hic posui. Vergilius imaginem Homericam nimis variavit.

Aen. XII, 4 –9:

. . . . . . Poenorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
tum demum movet arma leo gaudetque comantis
excutiens cervice toros fixumque latronis
impavidus frangit telum et fremit ore cruento.
Haud secus adcenso gliscit violentia Turno.

coll. Il. XX, 164—173:

Πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο, λεὼν ὥς
σίντης, ὅντε καὶ ἄνδρες ἀποκτάμεναι μεμάασιν,

ἀγρόμενοι πᾶς δῆμος· ο δὲ πρῶτον μὲν ἀτίζων
ἔρχεται, ἀλλ' ὅτε κέν τις Ἀρηϊθόων αἰζηῶν
δουρὶ βάλῃ, ἐάλη τε χανών, περί τ' ἀφρὸς ὀδόντας
γίγνεται, ἐν δέ τέ οἱ κραδίῃ στένει ἄλκιμον ἦτορ.

Variasse Vergilium Homericam imaginem videmus. Nam cum commune duae comparationes id habeant, quod utraque fugientem et a pastoribus pressum leonem ponit, pro sua quisque apodosi uterque aliter leonem pingit. Uterque autem peccasse videtur. Homerus Pelidem acri ira incensum impetum facturum describens multo andaciorem et vehementiorem leonem comparatum facere debuit; nec convenire puto, Pelidae acri impetui conferri hoc: *ἀλλ' ὅτε κέν τις Ἀρηϊθόων αἰζηῶν*
δουρὶ βάλῃ, ἐάλη τε χανών,
quod timorem quendam heroë indignum prodere videtur. Deinde Vergilii comparatio in simili re claudicat. Etenim cum violentiam Turni et furorem animo reconditum illustrare vellet, nimia ea imago est, qua leo caedi venantium acriter resistens describitur. Itaque haud ineptum videatur alterius comparationem in alterius loco collocare.

Etiam imaginis de capro tractae exemplum ab Homero petitum exstat. Aen. X, 707 sqq. coll. Il. XI, 414 sqq.

E natura inanima primum arbores et plantae imaginum materiam poëtae suppeditant. Ita

Aen. V, 447—449:

Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

coll. Il. XVI, 482—485:

ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωΐς,
ἠὲ πίτυς βλωθρή, τήντ' οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι νήϊον εἶναι.

cf. etiam Il XIII, 178 sqq. Ornavit Vergilius hanc comparationem saepius obviam ornatius montes denotando, et minuit omittendo causam, qua arbores concidisse Homerus voluit:

τήντ' οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι νήϊον εἶναι.

Aptiorem vero his rebus Vergilianam comparationem exstitisse negari nequit.

Aen. IX, 677—782:

Ipsi inter dextra ac laeva pro turribus adstant
armati ferro et cristis capita alta corusci:
quales aëriae liquentia flumina circum,
sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum,
consurgunt geminae quercus intonsaque coelo
adtollunt capita, et sublimi vertice nutant.

coll. Il. XII, 131—134:

τὼ μὲν ἄρα προπάροιθε πυλάων υψηλάων
ἕστασαν, ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι,
αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα,
ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι.

Auxit hanc quoque comparationem certo loco adjuncto: circa Padi et Athesis ripas, unde quercus exortae sint. Haudquaquam vero, ut omnino certis regionibus locisque afferendis comparationem exornare minus placet, hanc iisdem rebus suaviorem effectam esse censeo.

De flore vel de papavere imaginem traxit collabentis moriturique militis Aen. IX, 434 437:

It cruor inque humeros cervix conlapsa recumbit:
purpureus veluti cum flos, succisus aratro,
languescit moriens: lassove papavere collo
demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

coll. Il. VIII, 306—308:

μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥτ' ἐνὶ κήπῳ,
καρπῷ βριθομένη νοτίῃσί τε εἰαρινῇσιν·
ὣς ἑτέρωσ' ἤμυσε κάρη πήληκι βαρυνθέν.

Causam, cur papaver caput demiserit, Vergilius ad alium casum revocat; etiam de papavere dicta, quae imitatur, paullo variavit neque injucunde.

Saxum comparatur pugnanti Aen. VII, 586—590:

Ille velut pelagi rupes immota resistit,
quae sese, multis circum latrantibus undis,
mole tenet; scopuli nequidquam et spumea circum
saxa fremunt, laterique inlisa refunditur alga [1]).

coll. Il. XV, 618—622:

ἴσχον γὰρ πυργηδὸν ἀρηρότες ἠΰτε πέτρη
ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα,
κύματά τε τροφόεντα, τάτε προσερεύγεται αὐτήν·
ὣς Δαναοὶ Τρῶας μένον ἔμπεδον, οὐδ' ἐφέβοντο.

Talis comparationis, quam de Saxo petitam hic posuimus, proprium quoddam est. Namque valde coarctati fines comparandi sunt in saxo cum homine collato nec quidquam nisi firmitatem et constantiam periculis resistentem ab illo comparandi gratia adsciscere licet. Quaecunque praeterea a poëtis adjiciuntur, suaviori delectationi potius quam perspicuitati rerum conferendarum inserviunt. Aliter in rebus viventibus comparandis res sese habet.

Praecipue e rebus naturalibus inanimis mare, venti, tempestates, ignes adsciscuntur ad pugnantium impetus illustrandos.

Sic imago aciei sese moventis mare invenitur: Aen. VII, 526—530:

Horrescit strictis seges ensibus aeraque fulgent
sole lacessita, et lucem sub nubila jactant:
fluctus uti primum coepit cum albescere vento,
paullatim sese tollit mare, et altius undas
erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.

coll. Il. IV, 422—428:

Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης
ὄρνυτ' ἐπασσύτερον, Ζεφύρου ὑποκινήσαντος·
πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα

---

[1]) cf. etiam Aen. X, 693—696.

χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δὲ τ'ἄκρας
κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ'ἁλὸς ἄχνην·
ὣς τότ' ἐπασσύτεραι Δαναῶν κίνυντο φάλαγγες
νωλεμέως πόλεμόνδε.

Uterque poëta aciem in proelium profecturorum cum mari fluctuante confert. Discrepant autem, quod Vergilius armorum fulgorem, Homerus motus aciei progredientis fluctuantes spectavit. Rectius Homerus rem absolvit, cum et maris strepitum et fluctuationem huc vocaret. Contra minus imaginem Vergilii perlustranti comprobabitur, quod strictorum ensium aerisque fulgorem maris fluctuatione expressit.

Pariter duo poëtae imbre grandineque telorum crebram conjectionem illustrarunt:
Aen. IX, 666—671:

Sternitur omne solum telis: tum scuta cavaeque
dant sonitum flictu galeae; pugna aspera surgit:
quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis
verberat imber humum; quam multa grandine nimbi
in vada praecipitant, cum Jupiter horridus austris
torquet aquosam hiemem, et coelo cava nubila rumpit.

coll. Il. XII, 156—160:

. . . . *νιφάδες δ'ὡς πίπτον ἔραζε,*
ἅστ' ἄνεμος ζαὴς νέφεα σκιόεντα δονήσας,
ταρφειὰς κατέχευεν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ·
ὣς τῶν ἐκ χειρῶν βέλεα ῥέον.

Ventorum proelia pugnantibus conferuntur Aen. X, 356—361:

. . . . Magno discordes aethere venti
proelia ceu tollunt, animis et viribus aequis,
non ipsi inter se, non nubila, non mare cedunt;
anceps pugna diu; stant obnixi; omnia contra:
haud aliter Trojana acies aciesque Latina
concurrunt.

coll. Il. XVI, 765—771:

Ὡς δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν
οὔρεος ἐν βήσσῃ βαθέην πολεμιζέμεν ὕλην,
φηγόν τε μελίην τε τανύφλοιόν τε κράνειαν,
αἵτε πρὸς ἀλλήλας ἔβαλον τανυήκεας ὄζους
ἠχῇ θεσπεσίῃ, πάταγος δέ τε ἀγνυμενάων·
ὣς Τρῶες καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ' ἀλλήλοισι θορόντες
δῄουν.

Ea de causa hic ab archetypo Vergilium sese amovisse cognoscitur, quod proelium inter ventos (quos nomine praeterea Homerus denotavit) exortum non in montium saltibus silvisque fieri voluit, sed in mari turbato, minus eximie Homero.

Porro ignis ejusque vis et effectus comparationi inserviunt Aen X, 405—411:

Ac velut optato ventis aestate coortis,
dispersa immittit silvis [1]) incendia pastor;
correptis subito, mediis extenditur una
horrida per latos acies Volcania campos;
— — — — —
non aliter socium virtus coit omnis in unum
teque juvat Pallas.

coll. Il. XI, 155—159:

ὡς δ'ὅτε πῦρ ἀΐδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ·
πάντῃ τ' εἰλυφόων ἄνεμος φέρει, οἱ δέ τε θάμνοι
πρόῤῥιζοι πίπτουσιν, ἐπειγόμενοι πυρὸς ὁρμῇ.
ὣς ἄρ' ὑπ' Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι πίπτε κάρηνα
Τρώων φευγόντων.

Etiam hanc comparationen pro suo usu Vergilius variavit.

---

[1]) Injuria Heynius ad h. locum silvam non ex arboribus sed ex stipulis agri demessi compositam, quas pastor incenderit, intelligendam esse judicat; neque ei licuit Georg I, 76 ad rem suam firmandam huc vocare. Etenim Georg I, 76, cum in antecedentibus versibus de lupini fragilibus calamis sermo fiat ibi, silvam calamorum intelligi posse nemo non concedet. Hic vero, ubi nihil, quo silva accuratius circumscribatur, proferri videmus, arboribus composita ea putanda erit.

Tria illa elementa, quibus saepius Maro ad comparationes faciendas utitur, una comparantur Georg IV, 260—263:

Tum sonus auditur gravior tractimque susurrant
frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster;
ut mare sollicitum stridit refluentibus undis,
aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis

coll. Il. XIV, 394—400:

οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάα ποτὶ χέρσον,
ποντόθεν ὀρνύμενον πνοιῇ Βορέω ἀλεγεινῇ·
οὔτε πυρός τόσσος γε πέλει βρόμος αἰθομένοιο,
οὔρεος ἐν βήσσῃσ' ὅτε τ' ὤρετο καιέμεν ὕλην·
οὔτ' ἄνεμος τόσσον γε ποτὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν,
ἠπύει ὅστε μάλιστα μέγα βρέμεται χαλεπαίνων·
ὅσση ἄρα Τρώων καὶ Ἀχαιῶν ἔπλετο φωνή.

Hucusque cum comparationes Vergilianas in medio posuerimus, nihil referre ad collationem ejusmodi imitationis exemplorum putavimus, utrum formae[1]) quoque qua comparationes poëta induit, imaginum poëtae graeci et romani consensio exsistat, necne. Et merito comparationum formam in eis disponendis praeteriisse mihi videor, ita ut ad argumenti ratio nem enumeraverim, quod in his exemplis comparationum a nobis allatis ex argumenti similitudine imitatio colligitur, forma vero plerumque necessario eadem atque archetypi exstitit. Unum vero genus comparationum exstare video, quo praeter argumentum formam quoque sponte eandem sumpsit Vergilius. Hae quidem comparationes, de quibus loquimur, in bu-

[1]) Formae comparationum varietas praecipue efficitur particulis diversis, quae illas inducunt et a poëta positae sunt pro ratione, quae inter eam comparandam et ejus imaginem intercedit. Imagines autem collatae aut pàres aut similes aut minores rebus comparandis esse possunt cf. Serv. ad Aen. II, 496. Si rei illustrandae par comparatio est, his particulis fere inducitur: „qualis; quantus; quam magnus; quam multi; non aliter quam; haud secus ac; non magis; ut; velut, ac velut;" paucis locis „credas; putet quis" (Aen. VIII, 692. VII, 703). Si res comparata major est, quam quod imagine continetur, prae ceteris poni solent: „non sic; non tam, non tantum."

colicis exstantes cum pro poësis bucolicae ratione magnopere coarctatae sint, gnomicis sententiis haud dissimiles sunt et, ubi cantandi certamine inito pastorum sermones alii aliis respondent, parallelismum quendam habent, quo fit, ut particulae, quae in initio comparationum poni solent, in bucolicis saepe omittantur. Hujusmodi comparationes ex Theocrito a Vergilio sumtae inveniuntur:

Ecl. II, 63—65:

Torva leaena lupum sequitur; lupus ipse capellam;
florentem cytisum sequitur lasciva capella;
te Corydon, o Alexi.

coll. Theocr. id. X, 30 sq:

Ἁ αἶξ, τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,
ἁ γέρανος τὤροτρον· ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι.

Ecl. III, 80 sqq:

Dam: Triste lupus stabulis maturis frugibus imbres,
arboribus venti, nobis Amaryllidos irae.
Men: Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
lenta salix foeto pecori, mihi solus Amyntas.

coll. Theocr. id. VIII, 57—59:

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακὸν, ὕδασι δ' αὐχμός,
ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα
ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

Ac praeter hos locos etiam plures similis generis inveniuntur; sed imitationis vestigia obscuriora habere mihi videntur quam quae hic in medio poni possint. [1])

Ex his comparationum Vergilianarum de Graecis translatarum exemplis plura forte perlustranti occurrent, quae quin vere Maro imitatus sit dubitare possit. [2]) Jdeo rationem,

---

[1]) v. c. Ecl. V, 32 coll. Theocr. id. VIII, 79 sqq.
Ecl. V, 16 coll. Theocr. id. XII, 3 sq.

[2]) Aen. VII, 698—702 coll. Il. II, 459—465.
Aen. X, 454—456 coll. Il. XII, 487—491.
Aen. XII, 4—9 coll. Il. XX, 164—173.
Aen. X, 356—361 coll. Il. XVI, 765—771.

ad quam cognosci, utrum vere ab archetypo comparatio aliqua petita sit, possit, paucis attingamus.

Prae ceteris quidem in comparationibus a Vergilio adumbratis tertium comparationis, quod dicitur, in utriusque poëtae comparatione idem esse oportere per se intelligitur. Ita Aen. VI, 706—708 coll. Ap. Rhod. Arg. I, 879—883 alacris multitudinis agitatio examinis apum huc illuc volantium earumque murmuris imagine illustratur. Id autem ad comparationis imitationem profitendam non sufficit, sed singula quaedam lineamenta, quae, cum praecipua sint, certum colorem imagini addant, congruere necesse est. Et haec duo in exemplis, quaecunque attulimus, agnoscuntur.

Ceterum Vergilium archetyporum vestigia haud raro minus presse secutum multimodis imagines receptas inprimis amplificando variasse animadvertimus. Accuratiores enim ductus comparationi adumbratae addit, cum rem, quae geratur, certo loco[1]) vel certo tempore[2]) fieri velit, cum causam rei alicujus afferat,[3]) cum res et personas subtilius depingat.[4]) Causa autem, cur materiam ab archetypo receptam variaverit, saepe ex apodosis comparationis mutatione petenda, quae alia quaedam imaginis lineamenta postulabat.[5])

Omnibus his rebus factum esse videmus, ut paucae tantum imagines pari cum suavitate et perspicuitate ad res comparatas illustrandas a Vergilio perscriptae exstent,[6]) atque ab Homero, in plurimis aut rei comparatione illustrandae imago minus perspicua evaserit,[7]) aut delectationis legen-

---

[1]) Aen. V, 447—449 coll. Il. XVI, 482—485.
Aen. IX, 677—682 coll. Il XII, 131—134.

[2]) Georg IV, 433—436 coll. Od. IV, 412 sq.

[3]) Aen. IV. 143—150 coll. Ap. Rhod. Arg. I, 307—310.
Aen IX, 59—63 coll. Ap. Rhod. Arg. I, 1243—1248.

[4]) Aen. IX, 434 - 437 coll. Il VIII, 306—308.

[5]) Aen. XII, 4—9 coll. Il. XX, 164—173.
Aen. XI, 809—814 coll. Il. XV, 586—589.

[6]) Aen. I, 427—433 coll. Il. II, 87 - 92.
Aen. XII, 586—592 coll. Ap. Rhod. Arg. II, 130—136.

[7]) Aen. IX, 339—342 coll. Il. XII, 299—301 et 307.

tium animis movendae vis nimietate in comparatione exornanda minuta sit. [1])

Postremo si, quaecunque partim de carminum Vergilianorum partibus amplioribus a nobis allatis et de singulis congestis collatisque pro ratione voluntariae similitudinis, quae dicitur, partim de eis, quae ad necessariam similitudinem pertinent, disputata sunt, in uno conspectu collocamus, ut habeamus, unde Vergilium aut laudandum aut vituperandum esse judicemus, in hoc nobis acquiescendum erit:

Primum Vergilium eam ob rem, quod archetypa quaedam imitatus sit, reprehendi utique non posse, quoniam aetas ejus hujusque homines quodammodo hoc postulaverint;

deinde sine dubio Homeri et Theocriti poëtarum, quippe qui prae ceteris hic commemorandi videantur, ingeniis parem ideoque eadem laude dignum atque illos censendum esse eo, quod necessariae similitudinis vestigia tam multa et tam praeclara in ejus carminibus exstent;

minus denique quam graeca archetypa in eis, quae consulto ac dedita opera (i. e. quae ad voluntariam similitudinem spectant) a Graecis traxerit, prospero ingenio usum in permultis inferiorem e collatione Graecorum discedere.

---

[1]) Aen. VII, 526—530 coll. Il. IV, 422—428.
Aen. X, 454—456 coll. Il. XVI, 487—491.